

anitente manu confirmavit propria. Videlicet ut antiquam Dalmatiae libertatem, in nullo unquam deberet fraudare; nec Episcopum, uel primatum aliquem, nisi ab eorum uelle electum, illis dare confirmationem. Deinde hoc idem similiter supra sancta quatuor Evangelia, (Episcopi iuraverunt, quorum nomina) hic sunt: Laurentius Strigoniensis Archiepiscopus, Marcellus Vaciensis Episcopus, Simon Quinque-Ecclesiensis, Mattheus Vesperensis, Georgius Georensis, Sixtus Varadensis, Fulbertus Colocensis, cum caeteris Hungariae Episcopis. Comites uero maiores omnes hoc idem iurauere, quorum paucorum nomina scio, hi sunt: Joannes Palatinus, Cledinus, Marcus, Saulus, Saunicus et multi alii, quorum nomina, aut nunquam scire curauit, aut si sciri, in memoria non habeo, quae si omnium scirem, et uellem ponere nomina, in altum nimium nostra turgesceret pagina. Nam praeter Regem et Episcopos, et comites magnos, iurauere hoc idem et multi centurionum. Ille enim, qui Prouinciam Dalmatiae subesse Regi disposuerat, securus esse uolebat, per multas et magnas personas, sibi suisque successoribus, et eorum haeredibus, antiquam fore debere libertatem. Ad memoriam uero tantae confirmationis, tres cruces aureas dedit Rex, supra quas et quae superius explanauimus confirmauerat. Vnam uidelicet Jaderensi Ecclesiae, aliam Spalatensi, etiam Arbensi, simul quosque Nobiles Prouinciae ad se uocauit. Hac ergo securitate pace firmata, simulque terra tota per circuitum praevisa, Rex regressus est in Vngariam.

Ex Libro: Pactorum Archiuii Veneti. — Habet quoque G. Wenzel in Codice Dipl. Arpadiano continuato Pesthini 1860, pag. 43.

XVII.

Anno 1102.

Colomanum Hungariae Regem Belgradi supra mare Dalmatiae et Croatiae Regem coronatum fuisse patet.

Anno Incarnationis Domini nostri Jesu Christi millesimo cantesimo secundo. Ego Colomannus dei gratia rex Hungarie, Croatiae atque Dalmatie, salvo habito consilio postquam coronatus fui Belgradi supra mare, in urbe regia, rogatu subscriptorum meorum comitum pro charitate Dei, et remedio animae mee, dono perpetuam pacem et regiam libertatem monasterio sancte Marie monialium, quod situm est in Jadera, ut ibi Deo deuote degentes, secure Deum interpellare pro me et pro statu mei regni valeant. Nam nemo secularibus involutus curis, Deum, ut tanto decet ordini, contemplare potest. Unde sub istius priuilegij scriptione hanc dationem regie libertatis sic corroboro, ut nullus mei regni audeat quidquam distrahere uel auferre illi monasterio, tam in mobilibus, quam in immobilibus; si quis uero contumax nostre regali huic iussioni contraire ten-